



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

IMMANUELIS WEBERI,

Jurium D. & PP.

P R O O E M I U M
VENTILATIONI,

DISSERTATIONIS TERTIÆ

Ad

Illustris Pufendorfii

O F F I C I A

præmissum,

quō
simul

Generosis atque Nobilissimis

DNN. COMMILITONIBUS

JURIS NATURALIS
& GENTIUM.

STUDIUM

majorē cum ardore excolendum commendat.

GIESSÆ,

ANNO MDCCLII.

Typos Müllerianus.





Cùm misera olim Jurisprudentiæ conditio fuerit, postquam revocatis ad usum Legibus Romanis ea ab hominibus rudibus planè ac imperitis tractata, id scripta veterum Jure Consultorum, si non aliundè constaret, satis abundeque loquuntur. Destiuti enim, qui interpretationem illarum suscepere, bonarum literarum & Philosophiæ sobrioris, practicæ imprimis adminiculis, quid aliud quam ineptissima glossemata insulsissimis verbis constructa, ordine nullo cohærentia, solidâ omni ratione destituta in medium proferre, iisque Juventutem tantum non enecare potuerunt. (1) Evolventibus Accursii (2) aliorumque ad leges glossas, inspicientibus Bartoli Baldique, Azonis, Raphaelis Fulgosii, Angeli de Ubaldis, Magistri Jo.

A 2 de

(1) Solium est illis, inquit Anton. Mornacius, adl. 7. C. de transact. de Doctoribus his loquens, pro unaquaque ratione multa adducere, & fluctus excutare in simulo; columnasque ferè ingenes implere, ubi vel verbum sufficeret. Congerunt de more, quod festuarum, longaque semper tendenda via est, ut occurrat, quod profu. Versanda tamen eorum tametsi adipate strigosaque pagina.

(2) In Accursii glōsis omnia sunt ita involuta & incerta, ut ex iis vix aliud quam intelligere possimus, quam nihil enim intellexisse. Anton Faber, l. I. Conject. c. 2.

de Gradibus, Jo. Francisci à Rapi, Jacobini de S. Georgio, Raphaelis Cumani, Angli ab Arétio, Jo. de Platea, Jac. de Belviso, Hieron. Gigantis, Odofredi, Floriani de S. Petro, Lucae de penna, Alexandri Tartagni, similiumque ad eas Summas, Apostillas, Lecturas res manifesta evadet; ut veterum etiam in Italia & Hispania suo tempore illustrum, Marii Anguissolæ, Andreæ Barbatæ, Borgnini de Cavalcariis, Camilli Mellæ, Bernhardi Bombini aliorum hujus furfuris Decisiones, Consilia, grandiaque volumina taceam, è quibus si unum alterumque folium legendum sumseris, vix erit, quin nausea vertiginem, vertigo vomitum delicioribus adsueto cibis stomacho excitet. At lumina hæc erant & toto spectata orbe Jurisprudentiæ illustrissima sidera; Quid ergo censendum de aliis, qui vel in Scholis vel in dicasteriis docendo tantum & judicando tam impuris labiis pariter & manibus Sacra Themidis tractarunt, vel potius, si, quod res est, dicendum turpissimè prorsus nefarièque contaminaverunt? Melius aliquanto habere coepit Jurisprudentia, ex quo seculo decimo sexto, adjuvante multum & stimulum suggestente Maximiliano, laudatissimo Imperatore, literæ haec tenus sub squatore gementes & tantum nou sepultæ animam receperunt, & in amorem sui pertraxere homines quamplurimos, imprimis etiam Jurisprudentiæ operam navantes. Indè enim factum, ut subito in Galliâ pariter & Germaniâ quamplurimi prodierint, qui historiam cum Juris studio jungentes, nitidiore sermone pollentes & excultum omni literaturâ ingenium adferentes veterum sordes detestati Sacram Themidem ornatiorem comtioremque orbi sisterent, & ad simile studium alios pene & post se magis magisque excitarent. Possem hic nominare è Gallis Franc. Duarennum, Franciscum Balduinum, Andr. Alciatum, Fr. Hoto-mannum.

mannum, Adr. Tiraquellum, Guil. Budæum, Jacob Cuja-
cium, è nostris Jo. Sichardum, Udalricum, & Jo. Udalri-
cum Zafios, Patrem & filium, aliosque, qui magno numero
his successere; sed quid opus est, in re tam manifesta
nobisque notissima prolixitati studere? Id tantum hac occa-
sione ad laudes Zafii JCti, ceteris quos nominavi, meo qui-
dem judicio omnibus merito anteferendi spectans silentio
prætermittere non possum, tantam hujus Viri fuisse erudi-
tionem, ut etiam ab Erasmo, Varrone illius temporis, maxi-
mi habitus & in primis valde amatus fuerit. Nam extant
epistolæ partim in utriusque Operibus publicè editæ, partim
etiam adhuc manuscriptæ in scriniis meis aliorumque as-
servatae (1) unde liquidò constat, quo loco alter alterum ha-
buerit. Nihil inquit Erasmus in Epistola ad Bilibaldum Birck-
heimerum, (2) nihil adhuc vidi in Germaniâ quod aque sim
admiratus, atque Zafii ingenium. Non est candidus in amicos,
sed ipse candor. Corpore consenescit, sed vix credas, quam
adhuc totus rigeat animus, nihil decepsit judicio, nihil memo-
ria. Orationem verò sic ex tempore bonis verbis bonisque sen-
tentiis, nec id sine lepore, scatenem nec in Italo quoqam adhuc
animadverti. Adde hoc morum verè Christianam sincer-
itatem. Nullus ab illius colloquio discedit non ad pietatem inflam-
mator. Quidam qui nihil aliud sunt, quam numeri & fru-
ges consumere nati, cornicum vivacitatem superant; hic vir
prosperus est immortalitate dignus. Et in alia ad Jo. Baumgart-
nerum Ulricum Zafum, virum nominat plurimus maximaque

A 3 dotibus

(1) Collegit & edidit plasquam Sexaginta Erasmi Epistolæ, quæ
in Opere Frobeniano non habentur, P. Scrivenerius, Lugduni A.
M DCXV. Sed desunt adhuc quamplurimæ, in Doctorum Biblio-
thec extantes, quarum an copiam impetraverit, qui Lugduni novam
editionem Operum Erasmianorum adorvet, dies docebit,

(2) Tom. III, L. 24. p. 833.

dotibus suspiciendam, sed haud alia tamen admirabiliorem, quam admirabili quadam animi candore erga amicos. Paulo post ita de eo: *Zasium promerentem sic multis annis amavi, ut proorsus juxta legem Pythagoricam omnia mibi cum illo duxerim communia.* Quid de JCtorum illorum veterum scribendi genere senserit ipse Zasius, patet inter alia ex quadam ejus ad Erasmum Epistolâ, quæ sibi breve & non satis meditatum scribendi genus indulgeri vult, quia in cardine obeunda Lectionis civilis Bartolus & Baldus, ceterique id genus illatini. Autores auribus circumstrepent.* Enim verò iis, quos dixi, Vitis manum operi admoventibus Juris prudentiasordes veteres paulatim exuit, quæ in sermone, quæ in methodo JCtorum sat longo obtinuerant valuerantque tempore; sed nondum satis & ne sic quidem sufficienter humanarum disciplinarum Reginæ consultum, quamdiu verum interpretandi medium & legum omnium fundamentum, imò divina illa, quæ ipsas Gentium actiones dirigit ac moderatur mensura, Jus Naturæ & Gentium puto, adhuc profundis tenebris sepultum etiam doctissimis ignorabatur. Indè apud eos etiam deprehendas licet in legibus, ubi hujus juris sit mentio, explanandis ineptissima commenta, quæ reliquæ eruditio labem non levem adspergunt; in rationibus indagandis videas à scopo subinde longius aberrare, in interpretationibus legum obscurarum intricare sèpius mentem quam luculenter exponere, imò in non paucis antiquorum illorum nèvos coloribus tantum purioris alicujus eloquii incrustare animadvertis. Hæc una igitur sed magna quidem dignatio quùm Juris prudentiæ, quæ vera evaderet, non simulata, adhuc decesset, non possumus quin felicitati superioris seculi gratulemur

mur, quo demum prodit magnus & omnis nostro elogio
 major Hugo Grotius, qui universalis Jurisprudentiae distin-
 gta solidioraque fundamenta monstravit, invitavitque
 excellentia alia ingenia, quæ inventis alia addendo de redi-
 gendo in sistema Naturæ ac Gentium Jus cogitaverunt,
 & felicissimè id curatissimeque præstiterunt. Palmam in-
 ter hos meretur sine dubio Illustris Pufendorfius, quo de
 verè dicere possumus, quod de duobus suis Martinis alias
 Theologi, unus, nimirum Samuel si non venisset, alter,
 scilicet Hugo vix stetisset, adeò ferè demum ex eo, quo
 Pufendorfius facem Grotianis prætulit, horum dignitas &
 existimatio Juris Naturalis magni fieri cœpit, ipsumque
 hoc studium in Academiis ipsis magno cum applausu pa-
 sim fuit receptum. Quamvis enim non deessent homi-
 nes insulsi ac rudes, qui quum dignitatem divini hujus
 studii præ nimio stupore non caperent, exilium inde pa-
 rari Jurisprudentiae civili audacter clamarent, seque ita non
 parum turpiter darent, ostendentes luculenter, in se qua-
 drare illud: quid sui cum amaracino? & quam ad palata
 eorum non sint nisi benedicti illi veterum glossatorum in
 agris nati cardui; magis tamen atque magis Jurisprudentia
 illa divina caput extulit, & non in Germania solum (1) sed
 & in Suecia (2) publico salario ejusdem Antecessores con-
 stituti, imò alicubi primus inter Juris Professores locus illi,
 qui hanc profiteretur, datūs fuerit, quemadmodum &
 ipsa tanquam DEUM proximè Autorem habens & è divi-
 nis dictaminibus constans, primas merito inter Jurispru-
 dentiae universæ disciplinas sibi partes vindicat. Sapientif-
 simus igitur quisque suam laudem divinæ huic arti tribuit,
 Regesque pariter ac Principes, quicquid potuerunt, ad dilata-

tan-

(1) Heidelbergæ, (2) Lundini Scanorum.

tandam illius notitiam ac insinuandam Studiosorum animis fecerunt. Non defuere summi Principum Ministri, qui optimè judicantes, quantum publicæ rei interdit, studium hoc recte proponi inculcarique, nullum non ad id perficiendum movere lapidem. Cogitemus, ut hac vice alios taceam, magnum illud Literatorum miraculum, Meæcenatemque sui temporis Boeneburgium: quid non ille molitus est, quæ non consilia iniit cura celeberrimis è ætate viris, ut studium hoc juvaret, & in Germania junctis quasi doctissimorum omnium viribus, votis & auxiliis masculè promoveret? Agnovere etiam JCTi, qui quidem ultra vulgus legulejorum atque rabularum verè sapiebant, & uno tantum non ore confessi sunt, mancam & mutilam, imò nullam esse Jurisprudentiam omnem, quæ divinis naturæ juribus non superstrueretur, & Juris-Consulti nomen eum non mereri, qui universalis illius disciplinæ fundamenta arremque probè sibi cognitam perspectamque non reddiderit. Audiamus eorum nonnullos propriis suis verbis loquentes, he forte iis, qui satis habent civiles leges degustasse, illorum autoritate abutri velle vidcamur. Primus autem prodeat Germaniæ JCTorum decus David Mevius, qui in præfatione prodromi seu Nuciei Juris Nat. & Gentium ita: *Qui veram Jurisprudentiam discere atque obtinere cupiunt, à cognitione Juris Naturæ exordium capere, & in illa fundamentum scientia, qua est de jure, collocare, ac inde ad sua cujusque civitatis leges noscendas intelligendasque progredi debent.* Nec enim civilia jura aliud sunt, quam Communis juris sub diversis materiis & formis ad aulas, curias, forâ, judicia, domos applicatio. Taceo quod cum civili Jurisprudentiâ omnia comprehendere & formare impossibile sit, etiam qui illâ plenissimè se frui putant,

bunt, tamen in plurimis iisque infinitis, quae extra eam accidunt, se legibus suis destituti sentient; & ideo aliquod ius laius, unde aliam regulam petant aut suam suppleant, requirere opus habebunt, uti etiam, qui Romana Jurisprudentia incumbunt, sapient experientur. Sed quia fontes, unde defectus supplendus, non norunt, à Logicis, Ethicis, Metaphysicis, aliquando & aliis scientiis axiomata petunt, suaque faciunt, quae inde brocardica Juris, quam barbaro tam infausto Juri nomine appellant. Hacenus Mevius, at quantum JCtus! cujus meditationes huic studio impensæ utinam Prodromo tandem succedentes, quemadmodum spem vivus fecit Vir summus, lucem publicam cernerent. Admittamus post hunc non minorem omnigenæ eruditio[n]is & Juris omnis scientia JB. Casp. Zieglerum, qui graviter in præfatione Notar. ad Grotium, utique, ait, ex tali, scilicet Naturalis Juris studiorum genere plus accedere Jurisprudencia certus sum, quam ex tetrica & spinosiore atque anxiā Legum Romanarum contemplatione, nihil interdum ad ornandum juvandumque usum vita pertinente. Nec soleo ego in scholis meis vel Ulpiano vel Papiniano, vel ipsi denique Justiniiano tam caco assensu blandiri, ut non indentidem ad natura liarecurrere principia, & veras juris ac justitiae causas eruere mihi integrum reservem. Et, ni fallor, seculi nostril abes est, quod in Academiis ad leges Romanas ita adsuefieri co guntur Juvenes, ut in omni controversia, etiam ubi inter summos Principes lis vertitur, non aliunde decisionem petenda credere oporteat, quam ex Jure Romanorum & legibus isti uni Republica accommodatis. Fac mihi jam talem publi coregimini admoveri, & de Lege condenda deliberationem institui, subnixo ille animo leges, quas didicit, ad nauicam eromet, & Romanorum instituta ut Tiquiraviegi observabit,

nec admittet, legem novam aliter scribi &c. Adducamus denique JCti non minus consummati doctique, quam cordati navorum communium, qui disciplinas insident, Censoris Dn. Christiani Thomassi testimonium de usu, quem tum in theoria Juris Civilis tum in praxi forensi ex Naturalis Juris adminiculo se hausisse proficitur. Sunt autem haec illius in Proœziali ad Institution. Jurisprudent. div. Dissertatione §. 14 15. *Percipiebam fructus uberes exculta tam nobilis (de Jurisprudentia Naturali loquitur) doctrina. Deprehendebam enim docendo potissimum, me Jurisprudentia Naturalis ope non ineptum adeo esse ad expediendum sine dedecore Pandectarum explicationem, et si easdem nunquam antea integras audiendo percepisssem. Etenim, ut alia taceam, quoniam forte leges obstantes occurserent, tentabam in preparatione ante omnia, an ex regulis bone interpretationis ex Grotio & Pufendorfio haustis ipse medium conciliandi reperire possem; tum consulebam alios, & si ipsos mecum convenientes deprehenderem, confirmabar, si dissentientes, comparabam cum mea expositione, vel ipsos etiam inter se, iterum easdem interpretationis regulas applicando, & semper prejudicium autoritatis sequestrando, sic ut nonnunquam rejicerem conciliationem, et si à Bachovio profectam, & adprobarem alias eti Mantzii. Neque in theoreticâ saltem legum interpretatione adjuvabar à Jurisprudentia Naturali, sed & quoniam ad forum transstulisse pedem, ut tentarem jus ad facta singularia applicare, majorem abhuc usum ejus esse experiebar, quoniam sancti tot ius infinitæ circumstantiarum varietates, quibus negotia hominum civilia vestiuntur, sapissime casum formant qui vel plane non Legibus Civilibus est definitus, vel ubi plures leges diversa disponentes concyrrunt, unde si principiis communibus quis substituatur, & regulis extendendi & restringendi leges*

leges latas, maximo sudore, non raro etiam frustra opus habet tot myriades Consulentium, Respondentium, Decidentium esse Germaniam, Gallia, Italia, Hispaniam & toto penè terrarum orbe, evolvere, donec casum inveniat, quod ajunt, interminis, & periculum tamen subest, si maximè fuerit inventus, an Collegium, ad quod definitio cause pertinet, eandem cum decidente isto foveat sententiam; quò labore plusquam Herculeo super sedere facile potest, qui generalia illa & hominum cordibus inscripta fundamenta bene jecit, simul verò periculum istud non difficulter aliis mediis, de quibus jam differendi locus non est, evitare. Cui bono rām longè proœmier rogabitis fortasse, AUDITOR ES; & Vestro id fieri respondentem me quæso accipiatis. Friguit enim etiam apud nos, si ullibi, nobilissimum illud divinæ naturalis universalisque Jurisprudentiæ studium, plerisque, ni fallor duplīcē cā, de qua Mcvius conqueritur, persuasione abreptis, cuius in hanc rem verba adducere non pigrabor, si ea audire vobis non fuerit tædio: *Duplici ex persuasione, sed erronea, inquit, Juris Consulti (addo: Juris Studiosi) Naturalis juris Studium nauseant.* Prima est illorum, qui non Jurisprudentia, sed Ethica seu Philosophia moralis proprium rentur, quod ex solā naturā justum est, exponere, tanquam ad formationem morum præcipue pertinentis, ideo inter Philosophicas scientias separatim tradendum & antequam ad Studium fit progressus absolvendum. Altera ab eo, quod commendamus, studio aliena sententia est eorum, qui Gentium Juris communis cognitionem necessariam quidem esse adsentientur; at præ Zelo in Corpus Juris Justineanei huic soli tribuunt, in quō fundamenta Jurisprudentia locamus, indè satis ejus bauriri posse sibi imaginantur, imperitioribus persudent. Enim verò fallitis & fallimini, ô Optimi, si cā in hæresi vivitis, quā tempora illa amplius non sunt, ubi apud corda-

tiores ad sensum hæc talia impetrant. Dilui certè possunt ex adductis gravissimorum Jutorum effatis, & si qui plura velint, eos ad Mevium hæc etiam in præfatione Prodromi distinctè enucleantem ablegamus. Feci ego hactenus pro virili, ut tam perperam abjecteque de nobilissimo hoc studio sentientes ad aliam mentem revocem, & negligenteres è veterno suscitem. Testatum etiam fecerunt hactenus aliqui erectiore mentis indole prædicti Juvnes, quo-in precio divinam naturalium legum prudentiam habeant, dum industria suæ privatæ specimina in Publico edere ipsi placuit. Prodit simili instituto & consilio in præsens Generosissimus D.N. *Christophorus Ernestus de Sommerfeld*,

cujus honestis conatibus meritò adplaudimus ; & optima me spes alit, fore, ut deinceps tam egregiæ exempla intuentes alii, quos monitos invitatosque jam humanissimè volo, ad Academiæ nostræ celebritatem, quæ ex tractatione utilium disciplinarum, Disputationumq; publicarum frequentia crescit, de suo etiam aliquid sint conlaturi, quibus ego, quantum in me & fidei & subsidii est, id omne offero atque sanctè pollicor.

